



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

Cap. septimum. De Andrea Carolstadio nostri temporis Sacramentariorum
antesignano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

eiusque exitu supra diximus. Post hunc alius quidam Ioannes itidem nomine, reliquias regni colligere, eiusque sedem in Belgio constituere aggressus. (a) Bruxellis & coronam & caput perdidit. Ei successit Cornelius quidam, sed eadem fortuna Vitratæ di capite plexus. Post hæc inter regnum fuit duodecim aut quindecim annis, nemine tam funestū diadema suscipere auso, donec diabolus tandem spurium quendam suscitavit. Ruræmundani sacerdotis filium, qui Monasteriensis regni ruinam restaurare conaretur. Hic primo Louanium, deinde Vesaliam venit; & sub prætextu controversa quædam religionis capita discutiendi, cum variarum sectarum doctoribus, quarum mira ibi est copia & summa libertas, sermonem contulit, ac non multo post libellum de impuro eorum qui falso Evangelici dicuntur, matrimonio publicavit: in quo polygamiam defendit, & cum pregnantibus, ac cum iis qui per aetatem parere nondum possunt, concumbere, peccatum esse asserit; idque bestiarum more & exemplo probare contendit. Scriptura quoque, tamquam Delphico gladio, euincere conabatur, licet id quod vnus plus nimio habet, possidenti eripere eoque alterius paupertatem supplere & subleuare. Biblia vero non ut alij, litterali (hoc hominum ambitiosorum & mundana sapientium esse dicentis) sed mystico quodam sensu, quem scilicet Spiritus S. ipsi suggestit, interpretabatur.

VI. Hac illatione breui tempore multos sectatores attraxit; qui magistri doctrina, inopia suæ subuenire cupientes, Nobilium aliquot domos diripuerunt; ac per totam Cluuiam magna incrementa sumserunt. Rege, interim latente, ac nemini nisi suis noto. Erat homo proceræ staturæ, grauitatem admirabilem, comitate tamen quadam temperatam præferens. Gladium ferebat, quem Gedeonis appellabat. Plures habebat reginas, regali ornatu conspicuas. Cetera quæ ne quisquis hic homo docuit & fecit, lubens prætereo. Captus fuit in Ducatu Cluuiensi An. MDLXXIV. vnâ cum Elisabetha, primaria vxore, quam Reginam matrem appellabant, & viginti concubinis, è quibus duæ tantum supplicio affectæ sunt, reliquis ob simplicitatem vitæ gratia facta. Non sine admiratione legi potest illa disputatio, quam Elisabetha (quæ vnâ ex damnatis fuit) eam Hanebergio Prædicante Vesaliensi habuit: in qua tot scripturæ loca & sententias citat, vt aduersarium præne obruere videatur. Stultas illas persuasiones tam de religione quam de marito suo, ad extremum vsque

peruicacissimè retinuit, ac sanguine suo obsignauit.

Post sumtum de duabus reginis & proceribus aliquot supplicium, rex quoque ferreis compedibus onustus, in iudicium producit. Licet vero quintum iam annum captiuus, in carcere totus esset emaciatus, vt vix incedere posset; magna tamè & truculenta voce iudices in clamabat: *Facite de me, inquit, quidquid volueritis. Qui me creauit, qui me fecit vt sim quod sum, miracula sua ostendet vbi opus fuerit, meque è vestris manibus liberabit. Bonus enim est, & in promissis suis verax.* At vanum hoc fuit varicinium. Postquam enim miser hic homo aliquot annos inter mille miseras ipsa morte cruciabiliores, in carcere exegisset, tandem ad palmam alligatus, & lento igne exustus fuit. Nullum delictum fateri omnino voluit: sed durante supplicio, Deum inuocare, ac promissorum admonere non desistebat. Ecce cineres vltimi Anabaptistarum regis: è quibus nullus adhuc nouus phoenix prodijt. An vero futura secula aliquem productura sint, experientia docebit. Ipsa certe secta vt è Lutherana velut naufragio enata est, ita in quibusdam tantum Germaniæ, Belgij, & Poloniæ angulis delitescens, & ipsa non naufragium, sed communem cum omnibus hæresibus interitum expectat.

DE ANDREA CAROLSTADIO, nostri temporis Sacramentariorum ante- signano.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

- I. Per Sacramentarios diabolus Christoprimum bellum intulit.
- II. Andreas Carolstadius primus nostri temporis Sacramentarius.
- III. Vnde suam doctrinam, se ipso teste, hausert.
- IV. Andreas Carolstadius quis & qualis fuerit.
- V. Ex amico intimo Lutheri acerrimus eidem sit inimicus.
- VI. Carolstadius primus ex sacerdotum ordine, uxorem ducit.

NON minus absurda quam furiosa Anabaptistarum secta plures mihi paginas fecit quâ
initio
a Hortens libr. de Anab. fol 84. in fine. Nicol.
Bleesdick. nar. de secta D. Georg. lit. e. 7.

initio constitueram. Quia tamen inter hæreses nostri temporis ipsa quoque singularem tener locum; ac, quod sciam, nemo vnus omnia eius, quæ quidem inuestigari possunt, descripsit: ipsam quoque cum omnibus armis, insignibus, manipulis, & impedimentis in hunc in campum producendam mihi existimaui. Iam ad alias duas eiusdem Lutheri, communis omnium parentis, filias accedo, ortum earum, vel abortum potius, lenocinia, & quidquid ad eas pertinet, descripturus; factio initio ab ea quæ licet pessima sit, & maxime deformis, cerussa tamen suâ & fuce plures quam reliquæ procos inuenit. Sacramentarium sectam intelligo.

Quomodo vero magnorum exercituum imperatores, ad regnum aliquod occupandum proficiscentes, quacumque iter faciunt obuia quæque quâ vi quâ fraude occupant quidem, prosterunt, & ne hostibus vsui sint, ferro & igne corumpunt: interim tamen suas omnes cogitationes & curas ed conuertunt, vt ipsa regni sede aut eo in quo victoriæ ac rerum summa posita est, potiatur: sic vetus ille bellator, & bellicosus veterator, varijs strategematis ac multiplici vi ciuitatem Dei oppugnat, statuas confringendo, deiciendo altaria, leges omnes à Vicario Dei in Ecclesia ad eius conseruationem latis contemnendo ac proculcando. Verum hæ leues tantum sunt quædam procurfationes & velitationes: Plena acies ad oppugnandam præcipue ac destruendam Sacrosanctam Eucharistiam, præcipuum Christianæ religionis mysterium ac firmissimum fidei fundamentum, directæ est. Vix Testamentum suum promiserat Saluator, quum ecce Capharnaitæ mussate incipiunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum!* Vbi Cyrillus ait, *verbum illud Quomodo in Dei operibus vsurpare, Iudaica infidelitatis esse proprium: eosque qui id faciant, omnibus pœnis & tormentis dignos esse.* Hinc S. Augustinus, (a) diabolum domui Dei oppugnandæ primum velut arietem per Sacramentarios admouere restatur. Sic quod per Capharnaitas cœperat, per Simonem & Menandrum idem fuit prosequutus, qui diuinitatem atque immortalitatem Christi negabant. Ex horum schola prodierunt. (b) Cataphrygæ, Pepusiani, Manichæi, & Ophitæ Horum alij venerabili huic Sacramento infantium sanguinem, alij semen virile (ô nefariû atque execrabile scelus!) admiscebant. Nec minus strenue postea idem augustum & sacrosanctum Altaris Sacramentum oppugnatû

fuit per eos, qui pro ridiculo spectaculo ac ludo habebant atq; etiam nû habent, sacerdotem cum ministris ad stare ad aram, & super frustillo panis verbis aliquot recitatis, in momento non lunâ, sed Dei filium, incantationibus suis, cœlo deducere. Sic enim impij isti de sacerdote loquuntur, *ad cuius prædes*, vt S. Hieronymus ait, *corpus & sanguis Iesu Christi in instanti consciuntur; & panis*, vt eadem de re S. Gregorius Nissen. scribit, *in corpus Iesu Christi mutatur.* O impios, qui incantationes, verba ex ipso Saluatoris ore prolata, nominare audent? Post Simoniacorum & Menandrianorum assaultum diabolus aliquâ diu quieuit, sed magis vt vires interea colligeret, quam pugnam omitteret: donec Anno DCCCL. circiter Iconomachos excitauit, qui dicebant, in Ecclesia nullam aliam ferendam esse imaginem quam solâ Eucharistiam. Ad quam blasphemiam tota contremuit Ecclesia; & animaduersa istorum hominum fraude, desinij ac decreuit, (d) SS. Eucharistiam non imaginem Iesu Christi, sed ipsum Iesum Christum esse. Quinquaginta annis post Scotus eandem quæstionem mouere voluit, cui tamen mox à Concilio Vercellensi os fuit obruratum. Post ducentos ab eo tempore annos Berengarius Archidiaconus Andegauenfis, diaboli instigatu maxima vi firmissimam hanc Ecclesiæ arcem inuasit. (e) Ac meo iudicio non errant, qui primum hunc Sacramentarium auctore & patrem faciunt: cuius error postea à Zuinglio, realem præsentiam negante, & à Luthero quoque, impanatione tantû concedente, fuit renouatus. At Berengarij vox in Francia tantum fuit exaudita, neq; vterius potuit penetrare. Operæ precium est audire, quid de eodẽ Noui nostri Evangelici in Francia sentiant. Fautentur enim (f) Berengarium odio potius aduersus Lanfrancum & Rogerium, & victoriæ ac gloriæ spe, quam veritatis reuelandæ aut defendendæ studio, certamen hoc de Eucharistia suscepisse: immo eundem de Matrimonio & Pædobaptismo minus recte sensisse. Sic ipsi pudenda patris sui reuelant. Leo IX. PP. vt nascenti malo occurre-

P 2 rer,

a In Psal. 54. S. Ignat. epist. ad Iren. Theodor. in Dial. Impa. Sept. Synod. Act 6. b August. har. 64. de consecr. dist. 2. c Epist. 5. ad Euang. d 2. Syn. Nico Act. 6 Damas. lib. 4. c. 14. Lanfranc. lib. de ver. corp. Christi Genebr. in Chron. Abbas Vrsperg. e Petr. Opeemer. in Chron. an. 1099. fol. 368. b. Malmesbur. in Chron. Angl. fol. 113. k. ij. Vrsperg. Cario. & alij. f Libro de statu Ecclesia.

ter, Berengarium statim ab Ecclesia abscidit; tum etiam hæresin eius per Concilium Romæ celebratum condemnauit. Eius successor Victor Concilium in Turonibus indixit, in quo Berengarius errorem suum abiurauit; deinde relapsus, Romam citatus fuit, præsentibus centum & tredecim Episcopis culpam suam falsus, sua manu eam in rem à se scripta cremauit, ut è Canone cuius initium, *Ego Berengarius, &c.* videre est. Id vero factum fuit Nicolao II. Pontificatum gerente, quem eam ob causam Sacramentarij tantopere oderunt & detestantur: quamuis Lutherus (a) optet ut omnes Pontifices tam Christiane se gerant ut hic erga Berengarium se gessit, ad hanc confessionem eum reducens. Sed tertium relapsus Berengarius, & Gregorio VII. Pontifice erroris conuictus, Archidiaconatu abdicato, ac bonis inter pauperes distributis, in monasterium Cluniacense secessit, ut eius loci Chronicon testatur (b) Morti iam propinquus in lectulo decumbens, exclamasse dicitur, Letho mille mortibus peiori se emori, ob erroris & peccati sui recordationem. (c) *Mi Deus*, inquit (ut Guilielmus Bibliothecarius, qui illo tempore vixit, testatur) *tu hodie mihi, ut spero, apparebis ad meam salutem. Ah! quanto peiore Inferni metus animam meam affligit, ob prauam meam doctrinam; eo potissimum quod eos, quos seduxeram, ad veram Sacramenti sui cognitionem reducere non potui.* Nec tamen hominis huius poenitentia culpam ita deleuit, quin memoria eiusdem hodieque sit detestabilis, ut qui primus omnium Sacramentarij viam strauerit, qui postea infames huius hæresis reliquias recollegerunt. Scribunt quidam, (d) S. Hubertum al. Fulbertum morti proximum, quum monachum hunc in cubiculum suum introeuntem vidisset, exclamasse: *O Deus, quis iste est! Ecce diabolus video auribus eius nascio quid in susurrarem.* Lambertus Danus, Sacramentarius Sedanensis, contra eorum, qui præsentem Berengarium morientem aspexerunt, e usque poenitentiam & confessionem auerunt testimoniam, ait, (e) eum doctrinam suam constantem ad exitum usque defendisse, & in ea animam Deo reddidisse. Chemnitius Lutheranus e contra eum tamquam male dictum hæreticum detestatur (f) Illud quidem negari non potest, nec conuersione nec morte huius hominis, hæresin eius fuisse extinctam, qua, ut Guilmundus scribit, (g) in tres sectas, ut fere hodie etiam Sacramentarium, fuit diuisa. Quidam enim Eucharistiam, ut meram figuram tantum percipiebant;

Alij præsentiam corporis fatebantur quidem, sed ita ut dicerent panis & vini substantiam manere. Alij vero panem & vinum in verum corpus & sanguinem mutari, sed non nisi à pijs ac tanto mysterio dignis percipi, in indignis vero ad priorem panis & vini naturam redire asserebant, hoc modo plus creaturæ quam creatori tribuentes, & verbo Dei vim suam adimcentes.

II. Post Berengarium nemo contra augustum & venerabile Altaris Sacramentum os palam aperire, & Iesu Christi in eo præsentiam negare ausus est. Petrobosiani enim, Abailardi, Albigenes, VValdenses, VVicleuisæ & Hussitæ balbutiebant tantum, corporis præsentiam sub & in pane concedentes: donec tandem anno M. D. XXIV. quidam Lutheri discipulus, & primus quem ille ex sacerdotum ordine Ecclesiæ subtraxit, (h) Andreas Carlstadius nomine (de quo primo libro aliquid diximus) Omnipotentis omnipotiam denuo oppugnare non dubitauit, quod imaginari sibi non posset quemodo idem vno & eodem tempore in altari simul & in cælo esse, & panis caro fieri possit: non memor eius quod Eusebius Emisenus admonet, (i) *Non hic anxie inuestigandum quomodo id fieri possit. Res diuinas non esse scrutandas, sed credendas. Creatoris omnipotentiam, & diuini verbi auctoritatem pro lumine & ratione habenda, neque enim in rebus diuinis quidquam preciosum & admirabile futurum, si scientia nostra comprehendi possent.* Hic igitur magistri gloria inuidens, seque præ illo contemni ægre ferens, postquam duos fere annos Lutheri doctrinam professus fuisset, nouam de S. Sacramento doctrinam comminisci atque proponere statuit, (k) quam à viro humana statura maiori, qui sibi apparuerat, accepisse se aiebat. Hunc quidem ille cælestem Patrem fuisse, Lutherus vero diabolum in Angeli specie fuisse contendit (l) Docuit vero, panem in Eucharistia nihil aliud esse quam signum & symbolum fraternæ ac

Christi

a In magna conf. b Bergom. supple. Chron. Gerson c Lanfr. de Euchar. Guil. Biblioth. lib. 3. cap. 58. de gest. Angl. Sabell. in Ennead. Vincent. part. 2. spec. lib. 25. cap. 30. d Malmesbur. in Chron. Angl. loc. cit. fol. 112. e Lib. cont. Selnece pag. 31. f Lib. de Cæn. pag. 325. g Lib. cont. Bereng. h Bismarc. in Vita Carlstadij Sur. Cochl. Genebr. in Chron. i De Symb. hom. 1. k Alber. contr. Carlstad. Hunnius lib. de Gena. Dni. cap. 14. l Tom. 3. Ien. pag. 68. Zuings. in epist. ad quenuam.

Christianæ charitatis: & Salvatorem verba hæc, *Hoc est corpus meum*, pronunciantem, non panem corpus suum appellasse, sed corpus suum quod mense affidebat, commonstrasse, quasi commiserationis in discipulis excitandæ gratia dixisset: Ecce corpus meum in medio vestrum, quod in cruce pro vobis immolabitur; quod tamen (ut alius hæreticus (a) eadem verba interpretatur) mox resuscitatum & ad cælos sublatum videbitis. Sed quid? an quum Saluator ait, *Hic calix est sanguis meus*, an venas suas ostendit, & non id quod in calice erat? Christus, ipsius opinione, sedet ad dexteram Dei ita affixus, ut inde discedere non possit, nisi ad id demum temporis quando ad iudicium universale mortuos è sepulchris est evocaturus. At si in Sacramento sit altaris (b) ait Carolstadius, ut Papiſta & Lutherani dicunt, necesse est, ut è cælo descendat, ut sit in Sacramento, & è Sacramento rursus in cælum ascendat, ut sit in cælo. Sic inæptus hic & demens Christi corpus Naturæ legibus, veluti Prometheus olim Jupiter caucasiæ rupi, alligat vel inter cælum & terram instar Mercurij volitare debere fatuè persuadet. Idem porro alibi inquit, *Sibi tam persuasum esse Christum in pluribus locis esse corporaliter, quam persuasum sit, Sanctam Annam quinque habuisse capita, & innocentem infantem habuisse barbam duodecim cubitos prolixam*. Idemque dictum hoc, *Hoc est corpus meum*, ait, plenam ac perfectam esse periodum, quia etiam Christus alibi nulla Sacramenti facta mentione, usus sit: eoque à littera capitali H incipere, quod genus litterarum novæ periodi initium designet. Sic igitur verba ista per parenthesis ut Grammatici vocant, inserta esse, sententiã nihilominus integrã. Melius facturos fuisse interpretes, si Græcam illam vocem, τὸ τοῦ, Latinis immistam reliquissent, atque ita legissent, τὸ τοῦ Hoc est corpus meum. Tum enim facile cognosci potuisse, quid vox ista τὸ τοῦ significet, qua scilicet neutriusq; generis, atque vocem Panis masculini esse generis, eoque cum illo τὸ τοῦ non coniungi, nec inde eorum opinionem confirmari posse qui dicunt panem esse corpus Christi. Tam Græcam enim quam Latinam Linguam non permittere ut sic dicatur, τὸ τοῦ ἄρτος, aut, *Istud panis est corpus meum*. De quidem in ea semper fuisse sententiã, Christum corpus suum monstrantem dixisse, Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur. Neque enim ibi panem monstrare, neque dicere, Panis hic est corpus meum: sed qui dicunt, Panem esse Christi corpus, mentiri, ac sua figmenta proferre. Verba hæc, *Hoc est corpus meum*, utrimq; punctis includenda, eoque sensum eorum neque à præcedentibus neque subsequentibus pendere, jeda

ea distincta à reliquis esse & separata. Quocirca omnino fatendum esse, Christum dicentem, *Hoc est corpus meum non panem, sed corpus suum monstrasse* (c) Quid iam non homo hic plane delirare tibi videtur? qui ut quæstionem hanc tanti momenti decidat, nihil nisi cerebri sui figmenta, absurda plane & ab omni recto iudicio aliena affert!

III. Credo equidem (nec vana fides) Spiritum hunc à quo ille tam rarum, tam altum ac tam excellentem mysterium didicit, Spiritum aliquem fuisse familiarem, qui hæc ei commenta in aures atque animum insufflarit, eundem forte quo olim Numa Pompilius sub Ægeriæ Nymphæ nomine familiariter usus est: quem admodum post Lutherum Carolus Kizius scribit, ea occasione Carolstadium diabolum incarnatum appellans. Sed & ipsa veritas hanc confessionem ex ore eius expressit (d) Fateretur enim ipse, sibi verborum istorum, *Hoc est corpus meum*, intelligentiam rimanti, quendam apparuisse, ac revelasse, omnes qui credunt Christi corpus in altari esse, idololatriam committere; & universam Eucharistiam nihil esse quam mortis Jesu Christi commemorationem: eoque tam Papiſtas quam Lutheranos qui aliter credant, esse idololatrias. (e) In initio quidem Carolstadius Lutheri velut alter erat Alexis, & deliciae domini: quem etiam cæteris omnibus præferrebat, adeo ut in Lipsiensi disputatione contra Eccium primas ipsi dederit, vel potius sese ipsi succenturiarit. at nunc, ut superbos inter semper evenit, odia & iurgia inter eosdem. Novam hanc Carolstadij interpretationem & sententiã complures statim eodẽ ingenio præditi, amplexi: alij vero tamquam insani hominis deliramentum, aspernati sunt. Eius auctorem seu suggestorem alij sanctum, alij malignum spiritum esse dicebant: interim vero Carolstadius in sententiã persistebat. (f) Porro Lutheo absente seu latitante adhuc in Alsterensi secessu An. 1521. exeunte (g) idem Vitebergæ, ubi Archidiaconus erat, congregata temerarium adolescentium manu, è templis statuas contractas eiecit, & sacrã Eucharistiã profanis manibus contingendam exhibuit. experiri iubens, an ibi quidquam aliud esset præter panem

a Oecolam. in expos. verb. Hoc est. b Carolstadij in dial. de Cæn cont. Conf. Euth: Lib. de ver. & sat. relig. c Vide Bismarckum in vita arlstadij & Alberum R. 7. d Vid. Lang in vit. Carolstadij e R. d. Schlüsselburg de Cæn ad. f Sel. nec. orat. histor. confes. Aug. pag. 20. Cochl. fol. 126. g Vitebergus in vita Luthe. cap. 9. n. 4. m. 2.

nem & vinum; altaria demolitus est, & Christianam Libertatem pleno ore prædicavit, ac præcipue in indifferenti ciborum usu [a]; neque quisquam magistratum tam cordatus erat, ut nefarii hominis conatibus obuiam iret. Id Lutherus è Pathmo sua reuersus An. 1522. 6 Martij ægerrime tulit, eoque nomine in publicis ad populum concionibus ac scriptis etiam valde eum reprehendit, [b] non tam ipsa rei indignitate motus, quam quod talia se utpote Euangelista & propheta in scio & inconsulto ausus fuisset. Sed audi quid Euangelici in Palatinatu præcones de hac ipsa re scribant & iudicent. Aiunt [c] postquam Lutherus ad euitanda pericula, VVittebergâ digressus fuerit, Carolstadium noua dogmata qua ad Christianam pertinent libertatem, proponere ac docere cœpisse; de licito omnium ciborum usu, de Missâ abolitione, de mutatione caeremoniarum, & Cæna Dominica restauratione: atque interim imagines omnes è templis eiecisse. Quamuis autem horum nihil malum fuerit, se tamen male cœptas Carolstadij actiones non probare, non solum quod rerum quarundam veritatem falsis & ineptis rationibus obscurarit, verum etiam suo ipsius consilio ac propria auctoritate, cum periculo & scandalo Ecclesie tum adhuc nascentis, quædam facere ausus sit, neque Luthero, quem Deus ad hoc peculiariter elegerat, earum rerum auctoritatem detulerit. Ecce quomodo hi in falsa Ecclesia caput agnoscant, in vera reprobent. Lutherum aiunt à Deo fuisse electum; Sed cur, quæso, hunc potius quàm Carolstadium. Erat Lutherus persona Regularis ordinis D. Augustini, nullam habens ordinariam Iurisdictionem Ecclesiasticam, nisi quam ei indulgerat suus superior à Pontifice Romano acceptam, cum ea limitatione, qua eam & Generali Ordinis limitauerat Pontifex, & Generalis Prouinciali, & Prouincialis Luthero ipsi. & quam præterea adhuc Episcopus loci vel approbare vel ratam habere debuerat. A deo Lutherus in foro cæli dependebat à superiore potestate. At Carolstadius erat ab Ordinario suo Episcopo creatus Archidiaconus & Episcopus à Romano Pontifice acceperat ius pacendi animas, proinde hic multo propinquius Ius habebat, quam Lutherus. Siquidem Archidiaconi sunt Episcoporum oculi, & dextra manus. O portebat sane Calvinista huius potius, utpote melius fundatum ius habentis, & ipsorum sententia magis fauentis, quam Lutheri partes suscipere. Hic enim cum ipsis Imaginum cultum idololatriam appellat: non sic Lutherus. Carolstadius cum ipsis sacerdotum cœlibatum spernit: Lutherus vero quæuis amore Nonnæ seu Religiosæ à se conspectæ

pene insaniret, votum tamén prius violare ausus non est, quam Carolstadius ei exemplo præiussit. Ille cum Calvinistis Missam abominationem appellat; hic vero partem eius integram & illasam reliquit. Ille corpus Christi non in Eucharistia, sed in cælo esse asseuerat; Lutherus econtra sub panis & vini speciebus per omnipotentiam esse dicit. Ergo semi-Caluinista Carolstadio potius, missi à Deo legari honorem, quam Luthero Calvinista deferre debebant: quorum tamen utrumque eodem illi ore & quidem ordine peruerse aliquoties, condemnant. Nam, ecce, alia tibia aiunt. Carolstadium reprehendendum quidem esse, sed multo magis Lutherum. Hunc enim VVittebergam reuersum, ea quam ante probauerat improbasse, & qua improbauerat approbasse, ex ira quadam & indignatione contra eum à quo se contemtum existimabat. Tanto vero plus reprehensionis mereri, quod hominis huius ætate & ingenio ferocis ac limites transgressi, ardore & feruorem non lenitate & mansuetudine restinxerit; sed voce ac scripto magis inflammari; (d) eum ad certamen provocans, dato aureo flore no tamquam arrhabone. Quod enim ad Imagines & panis eleuationem attinet, confiteri Lutherum illa se abolere voluisse, postea tamen retinuisse, ne à diabolo quidquam didicisse videretur. Sic quidem Calvinistici Euangelij in Palatinatu præcones de Luthero & Carolstadio loquuntur. Ex quibus omnibus apparet, Carolstadij furorem Lutheri insanix velut frænū quoddam aut remotam iniecisse; ut qui Imagines è templis eiecere, aut Missam abolere noluerit, tantum eo ne discipulum, cui illum honorem forte inuidebat, imitari videretur. Sed & credibile est hoc eum patroni sui Friderici Saxonix Ducis voluntati dedisse, qui ut Missam plane aboleret, nunquam consentire voluit: (e) nam cum An. superiore circa Octobrem Augustiniani Monachi Wittebergæ, Lutheri spiritu imbuti, ipso absente, abrogassent Missam in suo Conuentu, & Lutherus id datus ad eos literis Kal. Nou. probasset, & auctores animasset, (f) Elector autem Fridericus, aman-

a Vlenbergius in Vit. Lutheri cap. 9. num. 2. Opeemer. in Chron. pag. 458. b. Seidel in histor. Luth. fol. 15. Sur. com. histor. pag. 114. Card. Hof. lib. 1. de hæres. pag. 417. Sleidan. lib. 3. fol. 60. 61. b. Chytraus lib. 10. Chron. Sax. pag. 297. Luth. Tom. 7. VVitteb. edit. Vlenb. loc. cit. exhib. excerptum istiusmodi concionū c. Hist. de Cœn. Aug. lib. de ant. Luth. d. Peucer. narrat. histor. de Melanch. pag. 9. c. Vlenb. Vit. Luth. cap. 9. num. 2. Hof. lib. 1. de hæres. loc. cit. Vlenb. caus. 21. c. 21. Alber. contra Carlst. v. 5. 6. Osiand. cœt. 10. lib. 1. c. 33. pag. 89. m. f. Selnecc. p. 25. Cochl. p. 72. Matthijs p. 32. Tô. 7. oper. Luth. VVitt. daf-

dasset Doctorem Iuris Georgium Pontanum, ad Vniuersitatem vt sibi rationes insolentis facti perscriberent; & ad id delecti fuissent Ionas, Doltzius, Carolstadius, Schurfius, Ambsdorffius & Melanchron. Hi auditis Augustineasium rationibus, quas illi è Lutheri libro de Abroganda Missa, & Lutherus à diabolo se ipso teste, didicerant, eas comprobant suo calculo, & Electori rescripserunt, qui tamen rem alius perpendens, istos calculatores grauius per Doctorem Iuris Christianu Beyer denuo admonuit, vt in retanti momenti nihil innovarent pauci, aduersus totam Ecclesiã. Et cum ea ratione in disputationem incidisset cū hifce Apostatis ipse Elector, & se, vtpote Theologiæ imperitus, nec Theologos alios adhibens, expedire non posset, Mandauit nihilominus, Traditione veteri victus, vt Canonici Collegiæ Ecclesiæ suæ omnium SS. V Vittebergæ, omnino Missæ Sacrificium retinerent, quod & fecerunt, donec Lutherus sensim perfregit, quod Carolstadius & socij eius cum impetu factum voluerunt. (a) Ita factum fuit, vt Lutherus frigidam affundens feruori dixerit: *se sacrificiũ illud, eleuationem, & alia è diuersis rebus pijs & sanctis composita, tollere plane nolle, quãuis multa eis friuola & inepta sint admista; Fridericus vero, quoad vixit, Lutheri ferocia cohibuerit; cui cū Ioannes Fridericus filius, Anno M DXXXIII. patri successisset, omnia permisit, sic vt ille tamquam novus Pontifex, immò cœlicus missus Legatus abiecto monachali cucullo, quo hæctenus vti fuerat, Laici habitũ fumeret, ac libitu suo omnia in sacris rebus disponderet. Reuersus ergo, vti diximus, V Vittebergam Lutherus, ira æstuans, non voce modo & seripris, verum etiam anathemate Carolstadium ac reliquos iconoclastas infectabatur, Imaginibus tum tam non iniquis, vt etiam Tomo III. Ienenfi aperte scripserit, à Mosaica lege nullam aliam q̄ Dei imaginẽ prohiberi, Crucifixi verò Saluatoris aut alterius Sancti imaginẽ, eitra vllã impietatẽ, immò cū fructu aliquo haberi posse. Et sane etiam nũ Lutherianorũ templa varijs imaginibus tam pictis quam sculptis ornata videmus: vt eas propterea Beza Saxios predicatores appellet.*

Verum ne quis calumniari nos aut finistre interpretari Lutheri verba existimet, adscribere ea placet. (b) Ait ergo: *Primum dico, secundum legem Moysi, nullam aliam prohibitam esse imaginem Dei: Crucifixi autem vel alterius Sancti imaginem habere prohibitum non est. Sicut Gallia non curat ius Saxonicum, sic nec ingeratur nobis Moyses. Nos in nouo Testamento nos sen nec videre nec audire volumus. Idem alibi (b)*

præcepta de Imaginibus & Sabbatho inter cæremonialia refert, à Christo abolita. Et hoc quidem initium fuit & occasio æmulationis inter Lutherum & Carolstadium, quæ mox in apertas inimicitias erupit. *Scopus diaboli, inquit Lutherus, (d) non est Imagines demoliri, sed hoc modo viam sibi ad humanum effundendum sanguinem aperire. Et post pauca: Etiam si verum esset, & me credere oporteret, Doctor Carolstadii non amare neq; cades neq; seditio: attamen dicere me oportet, eum habere spiritũ seditiosũ atq; auidũ cadis, quamdiu in violenta Imaginum demolitione p̄seuerat, temerariumq; vulgus ad se allucit. At dicens, Nõ erit sic obstinatus, sicut se doceri, & ab huiusmodi ceptis desisset. Quis? Doctor Carolstadius. Verba quidẽ pulcre scit dare, & scriptis euulgare quod velit doceri, ac melioribus acquiescere. Quanto vero audiuit, aut cessit vlli? Quoties monuit eũ Philippus V Vittebergæ, ne sic tumultuaretur contra Mosen, contra Imagines, contra Missam & Confessionem? Quumque ego reuersus contra iconomachiam & Missam eius predicarem, cur non desistit, cur non auscultauit? Hæc de Carolstadio tum Lutherus. Illum quidem Pseudoprophetarum quosundam, apparitiones & colloquia cum Deo simulantium familiaritate vsum ac seductum fuisse constat. (e) Pelargi imprimis seu Storkij, Stubneri & Cellarij, è quibus Stubnerus cum Lutherò disputaturus, quum Spiritum Dei se habere dixisset, Ergo, Lutherus inquit, non faciam vt cum Deo contendisse videar, sicque hominem elusit.*

Nullam vero ob rem acerbius reprehendit Carolstadium Lutherus, quam quod S. Eucharistiã profanis manibus tangendam ac tractandam exhibuisset. *Cauete vobis, inquit (f). Deus non potest ferre iocum, sicut sancti ferunt. En miram Latini sermonis elegantiam; sed multo magis miserabilem in tali homine zelum. Carolstadius quamuis ad quotidiana Lutheri conuicia non taceret videns se contemptum præ Luthero tempori cedendum existimans, V Vittebergæ discessit Orlamundam, à ciuibus eius oppidi vocatus, vt istic Pastoris, verius Lupi, officio fungeretur (g) qui opiniones suas ibi disseminauit, magistri vero sui Impnationem impugnat. Inter superbos semper iurgia sunt, inquit Sapiens. (h) Id certe si vniquam, in his*

a Vlenb. in Vit. Luth. cap. 9. num. 2 b Tom. Ien 3. in 1. part. cont. cœlest. Proph. c Colloq. mensal. Germ pag. 152. 151. Vlenb. caus. 18. cap. 18. d Luth. lib. 1. de cœlest. Proph. Hof lib. 1. de heres. fol. 427. e Selnec fol. 28. Bismarc. in Vita Carolst. f Serm. Dom. 1. Quadra. Cochl. Act. Luth. f. 45. Alb. contra Carlst. R. 3. 4 g Prot. 13.

in his hominibus verum fuit. Lutherus Carolstadium, quam diu cum ipso senferat, magnum virum & Dei Spiritu incitatum esse prædicabat; at quum is novam sectam sibi cudisset, hominem à diabolo possessum, immo diabolum incarnatum appellavit. Sed operæ precium est audire, qua illi ratione in mutuas contentiones exarserint. Rem Lauaterus, (a) Zuinglius & Wolfius (f) sic narrant. Anno MDXXIV. die XXI. Augusti Lutherum & Carolstadium Iena in diversorio publico, cui pro insigni erat niger Ursus, è familiari sermone in disputationem de S. Eucharistia delapsos, multis præsentibus inter alios Imperatoris ipsi in locis negotiorum gestorum, & Marchione Brandeburgensi: quumque Carolstadius realem corporis & sanguinis Iesu Christi præsentiam tamquam impossibilem, pernegaret, graviter à Luthero propterea fuisse reprehensum. At Carolstadio suam opinionem mordicus defendente, ac dicente, etiam publico scripto eam defendere se paratum; Lutherum aperta crumena, aureum florenum protulisse, cum his verbis: Accipe, sis, nummum hunc, & fac quod dixisti. Tum Carolstadium accepto nummo, eo velut auctoramento ad prælium hoc Sacramentarium sese obstrinxisse. Sic Lutherus sua propria pecunia adversarios tam sibi, quam posteritati suæ emittit, à quibus postea vehementer eius doctrina fuit oppugnata, & adhuc sine ulla spe (c) reconciliationis, oppugnatur. Pignorationis huius Schlusfeldburgius quoque mentionem facit, ubi Melanchthonis de Cæna Domini sententiam explicat. Neque Lutherani factum negant, sed alijs quibusdam coloribus velant. Ad florenum aureum quod attinet, inveniunt, de quo adversarij tantopere se iactant, non eum à Luthero propterea Carolstadio datum fuisse (quemadmodum Wolfius diabolum magistrum suum imitans, scribit) ut eo malam causam sibi emerget; sed quum Carolstadius motuere se diceret, ne libri quem sub prelo habebat, editio à Luthero impediretur; Lutherum, ut ostenderet non modo editionem se non impedireturum, verum etiam sua ope qua posset promovendum, de suo aliquid contribuere voluisse. Neque propterea dissensiones amasse Lutherum existimandum; sed quum intelligeret hominem illum in suo animo aliquid monstri alere, maluisse illud quidquid esset, hoc modo in lucem protrahi, quam in secreto apud alios diffundi. Aureo hoc nummo vulpem illam è latebris suis fuisse extractam; & Carolstadio Lutherum insimulanti quod libri ab ipso conscripti editionem impedire vellet, os oclusum. Porro ipsum colloquium coram Gerardo Vittebergio Colonienfi Doctore & alijs plurimis habitum Tom. 2. Ienensi fol. 462. ad 466. & Tomo 9. Vitteb. fol.

290. ad 312 expressum, exhibet. Latine Vlenbergius Vit. Lutheri cap. c. 13. num. 3. quod quisquis legerit, admirabitur. Post illud vero Ienæ habitum 23. Aug. ad 24. Aug. Orlamundam inuitatus à senatu venit Lutherus curru vectus, quem pedites Consul & Senatores deducebant, ibidemque Carolstadium persequi cæpit (d) sed primum à Senatoribus impugnatus Lutherus erroris & mendacij conuictus est, tum denique à Sutore in turba etià idololatriæ clamore & zelo, donec in os vti conuictus ita condemnatus, ad currum suum festinauit, quamvis ad differendum de Eucharistia & Pædobaptismo reuocaretur. Sed ille ad libros suos remittens, excessit, euaſit, erupit, nec multum abfuit quin lapidibus & luto obrueretur. Acclamatum ita fugienti est: Abi in nomine mille demonum. Vtinam præcepti corrua fractus ceruicibus, antequam civitatem egrediaris. (e) Et sic ille à suis Absalonibus tractatus Vittebergam rediit, & Carolstadium apud Electorem grauiſſime accusans, scriptis exagitans, è Saxonia expulſit fugauitque, qui Argentoratam tandem exul peruenit, & pactum ex Lutheri aureo dato, impleuit Germanico edito libro, in quo interloquentibus Emsero, Luthero, & Petro Laico, de Horrendo & Idololatriæ abusu Venerabilis Sacramenti disceptatur. nec multo post idem alios fanaticos libros emisit de diuina reuelatione, De raptu seu ecclasi spirituali, De abolitione artium, & c. Basileamque imprimendos misit, ipse deinde Tigurum, ut Zuinglium videret atque alloqueretur, profectus est: Luthero interim per litteras persuadere voluit, quæ de præsentia corporis Christi alijsque eò pertinentibus quæſtionibus scripsisset magis inuestiganda veritatis studio quam quidquam definiendi proposito à se scripta esse. At Lutherus omnes monuit, ut à Nouitio hoc Diabolo sibi cauere, qui Christi omnipotentiam & in Sacramento altaris præsentiam in dubium vocaret (f) edito libro de cælestibus prophetis: ex-

stat

a Lauather. histor. Sacram. an. 24. pag. 2. a. 2. b. Wolf. histor. Aug. Confes. Vlenberg. Vit. Luth. cap. 13. Peucerus Narrat. hist. de Philip pag. 9. c. Liber insitulatus. Irreconciliabilis cum Lutheranismis Caluinismus. d. Tom. 9. Vitteb. p. 214. Tom. 1. Ienensi pag. 466. & 2. pag. 266. e. Vlenberg. Vit. Luth. cap. 14. fuisse. Cochlaus, Melanchthon. Mathisius. Alb. lib. de Carolstadio. Sleidanus l. 5. f. Luth. lib. de cælest. prophet. Lauather. histor. Sacram. pag. 3. an. 25.

stat adhuc eius epistola, eam in rem ad Argentorateses scripta. Certum tamen est ab ipso Luthero Carolstadio anam & materiam hæreseos fuisse datam, Quemadmodum enim ab extremo ad extremum sine medio aliquo transiri non potest; sic Carolstadius de Lutheri doctrina ad extremum Sacramentariæ hæreseos est delapsus. Hic Carolstadio fumum ad has tenebras à dæmone ipsius oculis circumfusulas, prætulit. Legerat enim quod ab ipso scriptum erat, *Solam fidem, non Sacramenta iustificare*. Eoque Lutherus Transsubstantiationem oppugnans, Sacramentariæ hæresi fenestram aperuisse, Carolstadius vero primus se ingessisse, putatur. Quin affirmant Sacramentarij, Lutherum ante hanc æmulationem, in eadem fuisse cum Carolstadio sententia. (a) Sed pergamus, & quis ac qualis Carolstadius hic fuerit, indicemus.

IV. Andreas Carolstadius in Franconia natus, eo tempore quo Luthero VVittebergæ publicè docere, atque Ecclesiæ istius regimen affectare cœperat, in Archidiaconum fuit electus: homo præceps, inflatus, inquietus, & turbulentus: quos ille affectus scintillantibus oculis prodebat. Quod si nemo esset, qui cum litigaret, secum ipse litigabat, Prometheo infelicio, cuius iecur aquila tantisper rodere cessabat, dum illud renasceretur. Ut initio Lutherus Carolstadium ad audendum aliquid pro illustrando Evangelio; ita Carolstadius Lutherum ad cœptum opus perficiendum animabat. Quum vero Lutherum in formanda sua Ecclesia valde occupatum & anxium videret; auctor ei fuit ut novam potius institueret, quam veterem restauraret. Corpus Christi in pane esse nec ipse credidit, & Luthero ut ne rem tam horribilem, ut ipse dicebat, crederet, persuadere modis omnibus allaboravit, dicens: *Christum in calice relinquendum nec in servis Anthropophagorum more à nobis deutorandum esse*. (b) Ad quæ Lutherus, Facile se in eam sententiam concessurum, & Christi corporis in Eucharistia præsentiam negaturum aiebat, ut qui hac ratione tam Papam quam vniuersam eius curiam grauissime percussam, atque adeo ad insaniam redactum iri sciret; (c) sed quo minus id faciat euidenter rei veritatem obstare, quæ de ea vel cogitanti, frænum iniiciat. In epistola ad Senatam Spirenses sic loquitur: *Negare nec volo nec possum, si ante quinque annos Carolstadius vel quisquam alius persuadere mihi potuisset, in Eucharistia Sacramento nihil nisi panem esse & vinum, me non parum ei debiturum fuisse Tum enim in articulo hoc discutiendo, aude iudicabam, non sciebam me Papismo ingens vulnus*

hoc modo inflicturn. Sed Evangelici textus verba nimis clara sunt & expressa, quam ut aliam interpretationem admittant. En tibi integram noui Apostoli conscientiam.

V. Contentio hæc inter Lutherum & Carolstadium in tantum ut diximus exarsit, ut hic contra magistrum suum eiusque discipulos, quos Lutherus Papistas appellabat, cornua erigere non dubitaret: in quibus sane iam olim fœnum gerebat. De eo Melanchthon in epistola quadam hoc iudicium fert, *hominem esse barbarum, spiritu, doctrina, atque adeo sensu communi orbatum; in quo nulla S. spiritus aut diuina inspirationis indicia, vel ulla humanitatis officia, sed e contra plures impietates deprehenduntur. In tota eum doctrina Iudæismi & seditiones spirare. Omnes ciuiles Ethnicorum leges contemnere ac proculcare. Principio Anabaptistarum errores à Nicolao Storckio in Germania disseminatos amplexum: deinde Lutheri odio, non vero villo zelo aut pietate quæstionem de Cæna Domini mouisse. A Luthero enim ob iconoclasiam reprehensum, hanc se vindicandi rationem quassisse. Id se quum alijs restibus, tum libris ipsius abunde probare posse: in quibus ille sine villo iudicio aut ratione in obuium quemque incurrat & immanibus conuicijs debacchetur. Hac vero eo à se scribi, ut vicini à tali monstro sibi caueant. Esse quidem astutum valde & versipilem in captanda hominum beneuolentia, ingenium tamen celare diu non posse, quod natura ipsi sit vehemens & inquietum, eo quo propter ambitionem & iracundiam facile excandescere. His coloribus Melanchthon Carolstadium, primum Zuinglianorum & Caluinistarum patrem nobis depingit, quem illi tamen ad cælum vsque efferre non verentur. Lutherus restante Sleidano (e) Carolstadium accusabat, quod clandestinis illis doctoribus, qui visiones & colloquia cum Deo simulabant, valde esset familiaris; Anabaptistas intelligens, qui eo tempore quo Carolstadius iridem reuelationes & nescio quæ alia iactabat, in Saxonia nati vel in eam aduenerant. Quin Melanchthon (e) & Erasmus Alberus (f) eundem Anabaptisticæ sectæ primum auctorem fuisse aiunt. Et eiusmodi quidem Lutheri*

Q
a VVolf. in hist. August. b Hof. lib. 1. de hæres. fol. 425. 426. c Luth. lib. de capt. bab. & lib. contr. Reg. Angl. in epist. ad Argent. Vid. Contr. Andrea in Constanti Luther. Cochl. & Sur. Eder. in inquisit. Euang. tab. 5. de Sacramentarijs pag. 55. 56. Melanchthon in epist. ad Frid. Miconiū. Hofius fol. 427. Lib. 5. pag. 117. Melan. in epist. ad Col. Historia August.

theri, Melanchthonis, Sleidani, ac multorum aliorum de Carolstadio fuisse testimonia: qui tamen (ob stupendam cœcitate[m]) tantæ amentia[rum] ac ve cordia[rum] homo, plures quam magister discipulos & sententia[rum] de Eucharistia socios etiam hodie habet. Bellum vero & pulchrum in primis est quod Lutherus alibi dicit: *Resinebam in quibus, elevationem Witebergæ, ut agre facerem diabolo Carolstadio, ad quam tamen omittendam inclinabam propter Papi- stas.* (a) Ut merito Calvinista[rum] obijciant: *An non hoc est plus affectibus suis quam Dei gloria tribuere.*

Porto Lutherus cœlum ac terram contra Carolstadium armare non cessabat, veritus ne palma sibi præriperetur. Tam grata erat plerisque Carolstadii doctrina, qui in manducatione, corporis Christi nullum percipere gustum nec modum, quo illa fieret, perferuari poterant. O miseram hominū mentem cum sibi se permittit, sine lumine à Deo & Ecclesia ejus affulgente, Quam acutis & continuis stimulis fodiantur ea pectora quæ semel occupasti, O præsumptio incredula! Tu seculum unum super alium iniicis! Ut vero Lutherus & Melanchthon Papæ, ita Carolstadius Lutheri odio in hanc arenam descendit, novamque sectam instituit, Dei omnipotentiam circumscu- bere atque intellectus sui decempera metiri vo- lens, infallibili hoc, ut agebat, axiomate usus, *Quod unum corpus duobus locis simul esse non possit.* Non sic Chrysolomus (b) qui ait: *O miraculum! o Dei bonitatem! Ille qui in alio cum Patre sedet, eodem instan- ti manibus nostris tractatur! Corpus idem suum in cœli extulit, & in terra aut à nobis manducaretur, reliquit.* Et Augustinus (c) *Panem hunc carnem Domini appellat, qui in unitate persona semper, & quantum & quomodo illi placet, in cœlo simul sit, & in terra.* Sed Archidiacono Vitebergensi illud occinamus quod Cantabrigiensis Archidiaconus Archidiacono Turonē- si occinuisse fertur, inquit: *Si qua tu de Christi corpore dicis, vera sunt, falsum est quod uniuersa per totum terrarum orbem credit Ecclesia. Omnes enim Christiani gloriantur & latantur, se in Sacramento veræ Iesu Christi carnem percipere. Interroga Latinos, Græcos, Armenianos, & omnes tibi idem ducent: Quod si Ecclesia Catholica falsa est, aut decepta sequitur aut Ecclesiam uniuersalem numquam fuisse, aut interiisse. Sed non ob hanc tantum causam Carolstadius Lutheri bellum fecit, verum etiam eundem & quotquot eum sequebantur, publicis scriptis tam- quàm Papatus adulator, & nec de Missa, nec de peccatorū Confessione, nec de Imaginibus, aliisque compluribus articulis recte sentiētes, traduxit (d)*

VI. Sicut vero Carolstadius primus fuit nostris temporis, qui reale corporis Christi in Eucharistia Sacramento (quod ille cum Judæis Saker- mentis, id est, falsum signum appellabat) præsentiam negavit, sic idem primus Missæ solemniam mutavit, primus stacuas confregit, & primus Catechesin conscripsit, ad cuius modulum & formam Calvinus postea suam direxit. Ut vero in omnibus primas obtineret, primus post Bernardum Feldkirchium, (e) Kembergensis Ecclesiæ concionatorem, Velcurionis phisici fratrem (qui omnium primus, omnibus Evangelicis Sacerdotibus Apostatis velut paranymphus, connubium non multo ante, Luthero subscribente) publicâ solennitate è sacerdotū ordine matrimonium contraxit, & nuptias incredibili omnium apostaticorum sacerdotum gaudio & publica acclamatione celebravit, viam, ad id quod tantopere iam diu desiderarat, apertam sibi gratulantium. Quam impotenter vero ac perditē ipse sponsam suam amarit, ipse fatetur. Quin etiam Vitebergenses sacrilegas has nuptias singulari & ad eas accommodata Missa celebrant, (f) cuius Epitome hæc est. MISSA NUPTIALIS CAROLSTADII. JNROITUS.

Dixit Dominus Deus, non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adiutorium simile sui. Verus. Adha- rebit homo uxori suæ, & erunt duo in carne una. Gloria.

Oratio seu Collecta.

Deus qui post tam longam & impiam sacerdotum tuorū cœcitate[m], Beatum Andreæm Carolstadium ea gratia donare dignatus es, ut primus nulla habita Papiſtici iuris ratione, uxorem ducere ausus fueris: Da qua[m] sumus, ut omnes sacerdotes recepta sana mente, eius vestigia sequē- tes, eius concubinis aut eidem ductis, ad legitimum consortium thori convertantur. Per Dominum nostrum, &c.

Prosa seu sequentia sic:

Deus in tua virtute Andreæ Carolstadius gaudet & latatur, thalamo copulatus.

Piscanti Episcopo ipse primū factus piscator est uxori. Sacerdotes Pornolatræ diu, ad normam reduxit ma- trimoniū.

Is legibus ius Romanum tuus, Deus victor, strenuus subiugavit.

Consilium Pauli tui sequens, & iam bonum se ostē- dens coniugem. Mi-

a Eras. Alber. contra Carolstad T. 6. b Lib. 3. de Sa- cerd. c Tract. 6. 8. Ioan. d Colloq. mens. 126. & 100. d Cythr in Chron. Sax. pag. 253. an. 21. Bismar. lib. 1. in vita Bugenhagij. e Corbl. in Act. fol. 126. 127. & 194. Becan. in titulis Calv. tit. 6. quest. 2.

Mirantibus inuitus, Papiſtis, uxorem quaſitam ad-
hibuit nuper ſuis inuitis.

Atq; magno decore Sacerdos inſcripſit titulos coniu-
gatus Domine.

Illum ſacerdotem veretuum credimus, Chriſti filij
tui atque fraterculum.

Nos ergo Cöcubinia noſtris grauari, te, Deus, poſcimus,
Vt illius, qui Patres noſtros antiquos ſectatus, tibi placet,
Nos imitatione gaudeamus in æternum.

Secreta.

Sacrificium noſtrum, quaſumus, Domine, benignus
ſuſcipias, vt quod tua Maieſtati in Andrea Carolſtadij
nuptialibus primitiis deuote offerimus, eius efficacia a
cunctis ſcortationis defendamur periculo. Per D. N.

Pottremo complenda ſic:

Sint nobis, Domine, auxilio ſancti Sacramenti myſte-
ria. Et ſicut Andrea Carolſtadij connubiali celebritate
letamur: ita fac, quaſumus, ſacerdotum coniugia toto
orbe ſe icter auſpiciantur, felicibus ſuccedant, & quam
feliciffime finiantur. Per D. N. Ieſum Chriſtum, &c.

Vides, Lector, quomodo noui iſti Luciani, Deū,
ſacra & homines ludibrio habeant. (a) Hoc vno
Carolſtadius maiorem à Luthero gratiam inuit
quam ceteris omnibus quæ fecit, dixit, aut ſcrip-
ſit: nec Lutheri auribus quidquam auditu iucun-
dus accidit. Ex eo enim tēpore bene ſperare cō-
pit, fore vt aliquando Catharinæ Bornæ ſuæ, quā
deperibat, amore, quem litteris & libellis vitro ci-
troque miſculatis haſtenus fouerat, potiretur;
ac quorum voluntates coniunctæ erant, corpora
quoque coniungerentur. (b) Carolſtadius quam-
plurimos ſtarim amoris ſocios habuit, cuius nup-
tias fraterculorum aliquis laudans, ait, In multis
quidem illum antehac lumen ingenij ſui oſendiſſe, ſed
nihil præclarior ad æternam neminis gloriam ab eo fa-
ctum, quam quod primus ex eo ordine publica ſolenni-
tate conuſgem ducere auſus fuerit. O ſpectabilem &
glorioſum triumphū, fœminam à ſacerdote ſub-
actam! Ex hoc coniugio pruritus torum fere illis
in locis Eccleſiaſticū ordinem inuaſit: nec quid-
quam propius fuit quā Lutherus ſibi ipſi Epitha-
lamium caneret, & in Catharinæ ſuz amplexus
ſe daret; ſed retinuit ipſum Friderici Ducis reue-
rentia, qui monachum & monacham ſacrilegis
nuptijs copulatos numquam videre ſuſtinuiſſet.
Iam ſacerdotes cum Luthero conſultabant, non
vtrum coniugē, ſed vtrum viduā, & vtrum prima
mortua, ſecundā vxorē ducere liceret, quod apud
D. Paullū legiſſent, (c) Episcopum vnius vxoris vi-
rū eſſe debere. Quod Lutherus interpretabatur,
(d) non intelligendū eſſe de ijs qui ſucceſſiue, ſed

qui ſimul plures vxores ſuperinduxerint. Immo
requirere Paullum, vt Episcopos ſit maritus. Hac
interpretatio ſi vera ſit, (vt Hieronymus contra Io-
uinianum eadem de re aſſerit) nec ipſe Apoſtolus, nec
Diuus Ioannes Episcopos eſſe potuerunt, qui neuter fue-
rit maritus. Quod ergo Apoſtolus dicit, Episcopū
vnius vxoris virū eſſe debere, hoc vult dicere, eos
qui ſecundas nuptias contraxerint ad ſacros Or-
dines non eſſe admittendos: quemadmodum Epi-
phanus quoque teſtatur. (e) Qui ſecundum maritus
factus ſit, ſacerdotem fieri non poſſe aut debere. Eccleſia
quippe bigamos à ſuis miniſterijs ob cauſas ſem-
per excluſit, ſic vt ne vidua quidem quæ plures
maritos habuerit, in ſacris quæ alias fœminis com-
mitti fas eſt, miniſtrare poſſit nempe altariū vela-
mentis & lotioni &c. cuiusmodi quæ res in primiti-
ua Eccleſia ſemper fuit obſeruata. Quia vero olim
neceſſitas cogebat Apoſtolos ad Eccleſiaſticas
functiones prouectæ ætatis homines vocare, eis
vxores quidem retinere, non tamen vt cum vxoribus,
ſed cum ſororibus cohabitare licebat, quam Paulus A-
poſtolus diſerte (b) γυναῖκα ἀδελφῆν mulierē ſo-
rorem vocatam ſuis temporibus teſtatur. Ex car-
nali enim matrimonio, vt S. Leo dicit, fit ſpirituale con-
nubium. Et ſecundum Hieronymum (f) Episcopos
eſſe non poſſunt, qui durante ſuo miniſterio liberos genuit.
Immo talem idem ait, non pro marito habendum, ſed
vt adulterū puniendū eſſe. Et Origines ait, ab illo ſolo
iugē illud ſacrificiū offerri poſſe, qui iugē caſtitatē ſer-
uarit. (g) At Carolſtadius vt turpitudinē ſuam te-
geret, Diui Pauli prophetiā in Eccleſia Romana
completam aiebat, dicentis, venturos extremis die-
bus ſeducōres, qui matrimonium ſint prohibicuri. At
mi Carolſtadi, quibus? idoneiſſe matrimonio? an
in idoneis? Si dixeris Apoſtolū vcturos nouiſſimis
diebus qui prohibeāt matrimoniū, matrimonij in-
capacibus, vt Eunuchis, pueris, voto Deo obſtri-
ctis & huiusmodi Apoſtolum mēdacio manifeſto
onerat; ſi dicas, venturos ex eius ſententia, qui ca-
pacibus matrimonio interdican, verum dicis de
Apoſtolo, ſed audacter mentiris ſubſumendo te
ruique ſimiles Deo denupros per votum caſtitatis
matrimonij abſque diſpenſatione Dei, vel Vi-
catiij illius, eſſe capaces, præuidens enim Apo-
ſtolus Te ruique ſimiles er: orum magiſtros dixit

Q 2

non

a In Col. Manſ. fol. 6. 8. 326. & 400. b Fricius Modri-
mius lib. 2. de Eccleſ. Tract. 7. in præf. ad Paulū Oriſch.
c 1. Tim. 3. d In propoſ. de bigamia. e In compend. doctri. &
1. corinth. 9. g Lib. 1. cont. Iouin. Vide Cocciū theſ. Cath.
de calib. Sacerd. & Iacob. Keller. contra Heilbrun. &c.

non de Romana Ecclesia, quæ matrimonium in debito honore atque pro Sacramento habet, sed de Simone, Marcione, Tariano, itemque de Encratitis, Heraclitis, Adamianis, Eustathianis & Apostolicis, qui omnes matrimonium tamquam rem pollutam & impuram condemnarunt, Apostolus ibi loquitur.

Postquam vero Sacerdos hic apostaticus & vxoratus doctrinam suam de Sacramento publicasset, nec Lutherum, qui fratrum Ecclesiam confringere eum iam ante docuerat, amplius exaudiret, magna laborans inuidia, V Vittebergâ Orlamundam abiit, quod est eiusdem Saxonie ad Salam oppidum, quo etiam complices eius concesserunt. (a) ibique nouæ Ecclesie fundamenta iecerunt. Iudaizabat præterea idem Carolstadius, ut qui diem Sabbathi potius quam Dominicum diuino cultu celebrandum diceret, quod hic ab hominibus, ille à Deo esset institutus. Lutherus aduersarium quasi riualem sibi ob oculos ductum ægre ferens, Orlamundam cum fastu profectus, ut eius conatibus obuiam iret, à plebe, cui nouus propheta in delicijs erat, nequaquam amice exceptus fuit, ut ipse in Epistola ad Argentoratenses testatur. (b) inquit: *At ubi venissem Orlamundam ad Christianos eius (Carolstadij) bene expertus sum vim seminis quod ibi ille seminaret, ut gauderem me non lapidibus & stercorebus impetiturum & sicutum fuisse: Vbi nonnulli tali me omine ac benedictione prosequantur: Abi in maximam malam crucem, in mille diabolorum nomine. Atque visam collum prius frangas quam oppido exieris.* Reuersus ergo V Vittebergam Lutherus, multo magis tam voce quam scriptis in Carolstadium & socios debachatus est, edito *Contra celestos Prophetas lib.* Narratq; inter alia pro eo, quod vere à Sutore Orlamundano fuerat conuictus ex Scriptura, aliam fabellam, veritati substitutam nempe: quum in eo itinere in sutorem quendam Orlamundanum, de Euangelio multa blaterantem incidisset, atque ex eo quæsiisset, quid de staturarum contractione ipsi videretur, & vnde recte id factum esse, probare possent. (c) veteramentarium respondisse, Saluatorem in Euangelio (locum se nescire, ac fratres suos scire) præcipere, ut femina cum viro concubitura, albam & mundam induat subueclam; eademque ratione & templis staturas esse eijciendas, ut purificentur, & à creatura liberentur. Ita Lutherus de victoria Sutoris, à se Orlamundæ reportata, scurriles iocos facere conatus est; & qui cum risu vrbis fugit, si-

git se audita tam profunda & subtili Theologia, cum risu hominem dimisisse. O veracem Prophetam & vere Novum Euangelistam!

Idem per Ioannem Fridericum iuniorem Principem effecit, ut omnibus Saxonie ducum oppidis & finibus Carolstadio fuerit interdictum. (d) Daniel Tossanus diaboli instinctu factum scribit, ut Lutherus quætionem hanc de Sacramento sine causa Carolstadio intenderit: quod idem Ambrosius V Vollius scribit. (e) In his Angustijs positus Carolstadius, Tigurum se contulit, vbi è Catholica olim Ecclesie Archidiacono, Zuinglianæ Synagoge Diaconus factus fuit. Sed quum ac hic quidem ad votum quidquam succederet, cum Anabaptistis clam colludens, Lutherum interim humiliter deprecabatur, (f) ut sua cum gratia subleuaret potius quam deprimeret immerentem. Hunc in finem Carolstadius 2. Tractatus ad Lutherum misit. 1. demonstrat se cum seditiosis rusticis &c. non communicasse. 2. se de Sacramento Buch. inquirendæ veritatis causa scripsisse. His placatus Lutherus utcumque, eum in Saxoniam redire permisit, præscriptis conditionibus, qui vna cum vxore sua, nobili femina Kembergæ concessit in villam quandam vno milliari V Vitteberga distantem, vbi aliquamdiu tamquam pauper rusticus, vitam miserè sustentauit, lignum in oppidum conuehendo & alia rustica opera faciendo; indutus crassa & squalida tunica. acruit eo gladius in laceram vaginam condito accinctus. Nec alio titulo, nisi Nachbar Andres id est vicinus noster Andreas appellari volebat: eo sanctæ cuiusdam simplicitatis opinionem affectans. Talem nobis Carolstadium Lutherani ipsi in Augustana historia describunt: (g) qui tamen iterum A. 1528. in sidijs Lutheri retractus in arnam disceptandi de Sacramento, rursus ad silentium vel exilij sententiã tolerandam à Luthero redactus est, hoc vnicè agente Luthero, ut in Carolstadio posset derriumphare non veritatis sed gloriæ studio Sacramentarios filios veteri sui hæretici (h) sed contrarium ei euenit. Carolstadius autem non multo post miserijs & squalore confectus, & ab omnibus, etiã suæ religionis socijs, desertus obiit. Ferunt quidam eum paullo ante obitum à Basileensibus ad parochiam quan-

2 Alber. contr. Carlstad. R. 3. Laing. in Vita Carlstad. Coch. in A. fol. 127. b Tom. 2. Len. Ger. f. 447. c Tom. 1. fol. 44. d Coch. A. pag. 128. e in hist. Conf. August. f Vlenb. cap. 16. num. 4. g fol. 38. an. 24. h Vlenb. V. Luth. cap. 19. num. 6.

quandā Alsterensem vocatū, non sine omni quodā, ut Lutherani dicunt, quod Muncerus in loco eiusdem nominis concionatus fuerat. Atqui iisdē recordari debebant, Lutherum quoque prima Ecclesiā suā lineamenta Alsteri duxisse. Basileam inde euocatus, concionatoris munere aliquādiu ibi functus est: quumq; die quodam concionē haberet, vidit magnā staturā hominem templum intrantem, & ad lacus Consulī confidentem (a) Finita concione Carolstadius quærit ex Consule quisnam vir ille esset insolitæ staturæ, qui iuxta ipsū confederet. Consule vero respondente, neminem à se visum; torus consternatus vnā cum Consule domū contredit. Aduenienti domestici narrant, magnæ staturæ hominem ædes ingressum, filium ipsius mediū arripuisse, & in altum eleuatum, sine ulla ratione in terram decidere permisisse, additis his verbis; Patri suo multam salutem diceret, quæ intra triduum esset visurus (b). Accedente ad reliquas animi & corporis miserias hac quoque consternatione, Carolstadius post triduum extremum vitæ diem clausit. Hunc quidem dæmonem fuisse, à quo, ut B. utus olim à malo suo genio, tamquam vadimonio ad mortem euocatus fuerit, dubiū non est. Et forsasse idem fuit à quo doctrinam illam accepisse se scribit (Luthero idem attestante) Christum verbis his, *Hoc est corpus meum*, non panem sed corpus suum quod mensæ assiltebat, denotasse. Tigurtini tamē Theologi, vt honori eius consulerēt, qui primus oculos ipsis aperuit ad cognoscendam veram de Cœna Domini doctrinam, honorifico eum testimonio ornatunt. Confessioni ipsorū infecto, quo aiunt, *quandiu apud ipsos fuerit Archidiaconi munere functus, honeste se, & vt Christianum deceat, gessisse, a bona cum gratia & venia Basileam inde se contulisse: toto vero eo tempore nihil ipsorum Fidei cōtrarium docuisse. Hoc vero testimonium se ipsius persona non autem libris, qui sibi visi non sunt, impertire: credere etiam Basileenses idem de ipso testificaturos. Vides, opinor, quomodo Sacramentariorū schola multo ante Geneuensem sua data, suo cum absoluat calculo qui ab omnibus tamquam à maligno spiritu infusus, fuit condemnatus. Lutherani à diabolo eum strangulatum, neque hoc ipsos Calvinistas negare posse asseuerant, tot testium confessionibus, tot bonæ fidei scriptorum testimonijs, adeoq; ipsorū Basileensium Pastorum litteris confirmatum. Hic exitus fuit Carolstadij, qui omnibus formidabilem Lutherū primus lacessit & aperto bello oppugnavit, qui altissimum Christianæ religionis myste-*

rium conuellere ac proculcare aggressus est, qui staturas confregit, qui sacerdotalis cœlibatus vinculum soluit: neque aliam nominis sui memoriam reliquit, quam quod plerisque nimis diu vixisse visus est. Superstitem habuit filium, Ioannē nomine, qui deserta patris hæresi, ad Catholicam Ecclesiā redijt, & quo tempore Concilium celebrabatur, Tridūci tuit. Sed iam ad alterū, eumq; multo deteriorē eiusdem sectæ conditorem transeo.

D E HVLDERICO ZVINGLIO,
Et Ioanne Oecolampadio, Helueticis
schismatis auctoribus.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

- I. *Huldericus Zuinglius nouus Euangelista apud Tigurinos.*
- II. *Eius de Cœna Domini doctrina, à Spiritu S. vt aiebat, accepta.*
- III. *Zuinglij fallacia.*
- IV. *De Spiritu qui Zuinglio apparuit.*
- V. *Lutheri, Zuinglij & aliorum Contentiones Sacramentaria.*
- VI. *Zuinglius à Luthero tamquam frater recipi petens, repulsam patitur.*
- VII. *Zuinglius Pelagianorum errorem renouat.*
- VIII. *Initium Zuinglianæ schismatis in Heluetia.*
- IX. *De Ioanne Oecolampadio Zuinglij symmysta.*
- X. *De eius morte: & quid de viroque senserit Lutherus.*

I. **D**Vm Lutherus & Carolstadius in Saxonia tumultuantur ac deliria sua spargūt, Huldericus Zuinglius, è milite Canonicus Constantiensis, in Heluetia somnia sua quoque cepit proponere. Et initio quidem ab Indulgentijs orsus est, vti Lutherus, sed mox ad peiora cum Carolstadio prolapsus est; à quo tamē in Sacramentaria re quo ad modum explicandi Verba Christi *Hoc est corpus meum* dissentiebat, etsi in eo conueniebat, quod (c) contra vniuersum totius Christianæ antiquitatis consensum realem corporis Iesu Christi in Cœna præsentiam negaret: ac postea cum eo colloquutus, perlectis eius libris, à sententia Lutheri quam

Q 3

a Alber. contra Carlstad. f. 1. b. f. 2. a. b Thom. Bozius tom. 2. de signis Ecclesie lib. 23. cap. 3. Lutherani in hist. conf. Aug. pag. 40. Bismare. in Vita Carlstad. Vid. Eras. Alb. conf. Carolst. Tom. 3. l. 1. pag. 88. c Hist. Conf. Aug. f. 41. Alber. loc. citato. d Gramin. us in vita sua d. 117. Ioan. Sapidus in Epitaph. 8. distich. lit. x. 8. a.